

DIE XXX. JANUARIIL.

## S. MARTINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

SIMPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui, inter cetera potentiae tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti : concede propitius ut qui beatae Martinæ Virginis et Martyris tuae natalitia colimus ⁊ per ejus ad te exempla gradiamur : Per.

In utrisque Vesperis fiat Memoria diei Octavæ S. Raymond (nisi transferenda fuerit) per Antiphonas, V. et Orationem Festi.

DIE XXXI. JANUARIIL.

## S. PETRI NOLASCO CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui in tuae caritatis exemplo, ad fidelium redemptionem, sanctum Petrum Ecclesiam tuam nova prole fecundare divinitus docuisti : ipsius nobis intercessione concede a peccati servitute soluti ⁊ in caelesti patria perpetua libertate gaudere : Qui vivis.

DIE I. FEBRUARIIL.

## S. IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**A, quæsumus omnipotens Deus : ut qui beati Ignatii Martyris tui atque Pontificis solèmnia colimus ⁊ ejus apud te intercessionibus adjuvemur : Per.

